

non semper æquè omnes respiciantur. Quæ causa fuit, ut tres eas acceptiones distinguendas putaverimus, unde lux aliqua sequenti de immortalitate tractationi affulgebit.

EXERCITATIO LII.

Demonstratur animæ immortalitas, id est, perpetua existentia, ex Dei constantia & immutabilitate.

1. **V**itam simplicis existentia appello cum vivere sumitur pro existerere, qua mente fortè Boëthius æternitatem, id est perpetuam existentiam, definivit interminabilis vitæ &c. possessionem, & sic illud effatum Aristotelis capio, vivere viventibus est esse. Etiam huc refero, quòd in Scripturis vita Dei, per quam ipse jurare quandoque solet, ipsam designet existendi firmitatem, necessitatem atque æternitatem. Et in Hebraica lingua *Hajáh* fuit & *Chajáh* vixit affinia sibi sunt vocabula, liceat enim vocum affinitatem adferre, ubi de vocis tantum significatione agitur.

2. Mors huic vitæ opposita potest vocari mors simplicis annihilationis, nam cum per existentiam res actu ponatur extra nihilum, sequi-